

antequam calcantur vna. Hoc protinus diffusum la-
genis suis deseruere passi, postea in sole quadraginta
diebus torrent aestatis secuta ipso canis ortu.

De deuterijs & secundarijs, vinige-
nera tria.

CAP. X.

Non possunt iure dici vina, quae Graeci deuteria
appellant, Cato & nos loram, maceratis aqua
vinaceis. Sed tamen inter vina operaria nume-
rantur. Tria eorū genera: Decima parte aquae addita
quae musti expressa sit, & ita nocte ac die madefactis
vinaceis, rursusq; praelo subiectis. Alterū, quomodo
Graeci factitauerē, tertia parte eius quod expressum
sit addita aquae, expressoq; decocto ad tertias partes.
Tertium est fecibus vini expressum, quod fecatū Cato
appellat. Nulli ex his plus quam anno vsus.

Quae nuper in Italia generosa vina
esse ceperunt.

CAP. XI.

Verum inter haec subit mentē, cum sint genera
nobilia, q̄ proprie vini intelligi possint, lxxx.
fere in toto orbe, duas partes ex hoc numero
Italiae cōtē, tōge p̄terea ante cūctas terras. Et hinc dein
de altius cura serpit, nō à primordio hāc gratiā fuisse

De vini obseruatione.

CAP. XII.

Autoritatem post sexcentimum vrbis annū
cepisse. Romulum lacte non vino libasse, indi-
cio sunt sacra ab eo instituta, quae hodie custo-
diunt morem. Numa regis posthumia lex est, vino ro-
gum ne respergito. Quod sanxisse illū propter inopiā
rei nemo dubitet. Eadem lege, ex imputata uite libari
vina dijs, nefas statuit, ratione excogitata, vt putare
cogerentur, alias aratores & pigri circa pericula ar-
busti. M. Varro autor est, Mezentium Hetruriae regē
auxilium Rutilis contra Latinos tulisse vini mercede,
quod tum in Latino agro fuisset.

Qui vini vsus antiquis, & de vinis an-
tiquorum.

CAP. XIII.

Non licebat id feminis Romae bibere. Inueni-
mus inter exēpla, Egnatij Mecennij vxorem,
q̄ vinū bibisset ē dolio, interfectā fuste à mari-
to, cumq; caedis à Romulo absolutū. Fabius Pictor in
annalibus suis scripsit: Matronā q̄ loculos, in quibus
erant clauēs vinariae cellae, resignauisset, à suis inedia
mori coactā. Cato, ideo propinquos feminis osculum
dare, vt scirent an temetum olerent. Hoc tum nomen
vino erat, vnde & temulētia appellata. Cn. Domitius
iudex pronunciauit mulierem videri plus vini bibisse,
quam valetudinis causa viro insciente, & dote
multauit. Diuque eius rei magna parsimonia fuit. L.
Papyrius imperator aduersus Sammites dimicaturus
votū fecit, si vicisset, Ioni pocillum vini. Deniq; inter
dona sextarios lactis datos inuenimus, nusquam vini.
Idem Cato cum in Hispaniam nauigaret, vnde cum
triumpho redijt, Non aliud, inquit, vinum bibi quam
remiges: in tantum dissimilis istis, qui etiam conuiujs
alia q̄ sibi metipsis ministrant, aut procedente mensa
subijciunt. Lautissima apud priscos vina erant, myr-

rhæ odore condita, vt apparet in Plauti fabula, quae
Persa inscribitur, quanquam in ea & calamum addi
iubet. Ideo quidam aromatite delectatos maxime cre-
dunt. Sed Fabius Dorsemus his versibus decernit,

Mittebam vinum pulchrum, murinam.

Et in Acharistione,

Panem, & polentam, vinum murinam.

Scauolam quoque & Lelium, & Atteium Capito-
nem in eadem sententia fuisse video, quoniam in Pse-
dolo sit,

Quod si opus est, vt dulce promat

Indidem, ecquid habet? rogas?

Murinam, passum, defrutum, mella.

Quibus apparet non inter vina modo murinam, sed
inter dulcia quoque nominatum.

De apothecis, & de vino Opimiano. CA. XIII.

Apothecas fuisse & diffundi solita vina, anno
d. cxxxij. vrbis apparet idubitato Opimiani
vini argumento, iā intelligente suū bonū Ita-
lia. Nondū tamen ista genera in claritate erāt. Itaq;
oīa tunc genita vniū habent cōsulis nomen. Sic quoq;
postea diu transmarina in autoritate fuerunt, & ad
auos vsq; nostros: quin & Falerno iam reperto, sicut
apparet ex illo comico versu, Quinque Thasiij vini in-
de depromam, Falerni bina. P. Licinius Crassus, &
L. Iulius Caesar censors anno vrbis cōdita d. clxxv.
edixerūt, ne quis vinum Graecū Aminiumq; octonis
aris singula quadrantalia venderet. Hac enim verba
sunt. Tanta vero vino Graeco gratia erat, vt singula
potiones in cōiectu darētur. Quibus vinis autoritas
fuerit sua in mēsa, M. Varro his verbis tradit: L. Lu-
cullus puer apud patrem nunquā lautum conuiuū vi-
dit, si quo plus semel Graecū vinū daretur. Ipse cū re-
diit ex Asia, milia cadū congiariorū diuisit amplius
centū. C. Sentius quē praetorem vidimus, Chium vinū
in domum suam illatum dicebat tum primū, cum sibi
cardiaco medicus dedisset. Hortensius super decem
milia cadum haeredi reliquit. Haecenus Varro.

De liberalitate Caesaris in vino. CAP. XV.

Quid non & Caesar dictator triumphi sui ca-
na vini Falerni amphoras, Chij cados in con-
uiuia distribuit? Idem Hispaniensi triumpho
Chium & Falernū dedit. Epulo vero in tertio consu-
latu suo, Falernum, Chium, Lesbium, Mamertinum:
quo primum tempore quatuor genera vini apposita
constat. Postea ergo alia omnia in nobilitatem vene-
runt, circiter septingentesimum vrbis annum.

De vinis fictitijs.

CAP. XVI.

Itaq; nō miror, innumerabilia pene genera fictitij
reperita multis ante seculis, quae nūc dicemus, oīa
ad medicinae vsum pertinentia. Omphacium quo
fieret, propter vnguēta diximus priori libro. Fit ē la-
brusca, hoc est, vitæ syluestri, quod vocatur cenanthi-
nū. Flores eius libris duabus in musti cado macerati,
post xxx. dies mutantur. Praeter hoc radix labruscae
& acini coria perficiunt. Ii paulo postq̄ destoruerē,
singulare